
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pace edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capuccinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung der Worte Eccles. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Dilger Predigt bey der Leichbegängniß Henrici Nicolai gehalten.

D. O. M. A.



Gymnasii Logici

DIATRIBE VI.

DE

# TERMINO COMPLEXO,

Seu

Definitivo & divisivo, i. e. definitione & divisione

Disputationis loco

ad Sententiarum Collationem in Gymnasio Gedanensi proposita,

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Philosoph: Mag. & Professore Ordinario.

*Respondentis munus sustinente*

Thoma Dabski, ~~Nobili~~ Polono.

*Ad diem 26. Augusti S. N.*

In Auditorio Philosophico Horis destinatis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,
ANNO M. DC. XXXIII.

*Nobilissimis atque Magnificis*
*VIRIS*

Dn. ANDREÆ KÖHNE, aliàs JASKI

Dn. PETRO BERGMANN
Serenissimo Electori Brandeburgico â Consiliis secretioribus:

*Amplissimo Consultissimoque VIRO*

Dn. JOHANNI PAULI
S. R. M. Pol. & Sueciæ Secretario spectatissimo

Dnnn. ac fautoribus studiorum officiosè colendis

*Honoris observantiæque cippum ponere voluit diatriben hanc*

Thomas Dąbsky Respondens.

1.

SEptima ode Pindari *tantæ apud Rhodios venerationis habita est, ut in templo aureis litteris inscribendam judicarint, ut memorat* Manlius collect. p:414. *Rectius definiendi dividendiq; doctrina eo â Philosophis haberetur pretio, uti auro contrà utilitate ejus pensatâ quisq; eorum ideam ejusdem velut mente sculptam secum circumgestaret, & frequenti exercitiorum usu sibi quàm familiarem redderet. Expenditur ea* ultimo *primæ partis Logices* loco; *atq; ubi de simplicib. terminis tàm affirmatis, quàm negatis hactenus est actum; ordinis Logici convenientia jubet, &* terminum complexum *curatius ad Critolai æginam appendere. Quod cum DEO, hac* συζητήσει *fiet.*

2. *Termini complexi, id est,* definitivi & divisivi *tractatio* vel *proeminalis est;* vel *doctrinalis.* Proeminalis *triplex. 1. An Logica hæc tractatio? 2. In qua Logices parte expedienda? 3. Vbinam in ea parte ordine collocanda?*

3. *Quà primum,* An Logica hæc doctrina? *Ratio dubitandi esse potest,* quia definitiones & divisiones tractare omnib. disciplinis & facultatibus competit. *Non ergo soli Logicæ id asseri potest. Distinctè hic dicendum: 1.* Materialiter, concretè, in actu exercito, *applicando definitiones & divisiones certis materiis, omnes disciplinæ agunt de definitionib. & divisionibus. Omnes enim disciplinæ sua objecta definiunt, dividunt, &c. sic Theologus Theologica, Medicus Medica, Metaphysicus Metaphysica, &c. definit & dividit. Sic Metaphysica de definitione agit, i. e. de quidditate & essentia rei in communi, eam definiens & dividens. Et hac ratione* Aristot. 2. Meta. c, 10. 12. *quædam de definitione inspergit obiter q: & per commentarium. Cum alias absurdum*

*ipse ait, quærere scientiam simul & modum sciendi.* 2. Meta. c. 3. Con. Scheib. Top: c.30. n. 3.

4. Formaliter, abstractè & in actu signato, *abstrahendo ab hac vel illa materia in particulari, solius Logicæ est tractare de definitione & divisione, ejusq; modos tradere. Nam sola Logica debet tradere organa bonæ ratiocinationi inservientia. At talia sunt definitio & divisio. Nam per hæc res explicare, propositiones synonymas a. paronymas formare, tandem syllogismum demonstrativum vel Topicum exstruere, & ita summum fastigium Logicum attingere valemus. E. & hæc ex professo à Logica tractanda sunt suscipienda.* Conf. Dn. Weger. s. 2. Log. c. 23.

5. *Quà secundum,* Vbinam de def. & div. tractandum? *Multiplex Varietas. 1.* Quidam in locis Topicis *& inventionis, ut vocant, eam tractant. Ita* Ramus l. 1. Log. c. 30. Piscator in l. c. Snell. l. 1. Dial. c. 30. Beurhus. l. 1. collat. c. 30. Alsted. l. 24. Encycl. p: 1. c. 28. Goclen. part. Log. l. 1. c. 19. Volkmann. l. 1. Log. pract. c. 34. Titelman. l. 5. dial. c. 3. Makilmenæus in l. 1. Log. Ram. c. 29. Scheibler. Top: c. 30. *& alii. Falsò. Nam Loci inventionis pro* argumentationib. *esse debent, i. e. debent illam potentiam obœdientialem docere, argumentari è loco definitionis, divisionis. At hic tantùm quæritur, quid sit definitio, divisio, quotuplex &c. E. malè inter argumentationes de definitione docetur. Inprimis* regulas consequentiæ *nectere in parte Logices primâ plane inconveniens & contra ordinem Logicum est. Vt faciunt* Alstedius, Goclenius, Volkmannus, *& alii. Conf.* Morisan. in l. 2. Top: c. 2. *2. Loci Topici tàm è realib. sumuntur, ut toto, parte, causis, causatis, &c. quàm notionalib. ut definitione, notatione, itemq;* Grammaticis, *ut conjugatis, notatione, Etymologia.* Conf. Cl. J. M. l. 2. c. Keck. s. 2. c. 1. & Dn.

Cor.

Cor. Mart. l. 1. par. pro. c. 1. *At quid sit def: quid divisio, tantum inter notionalia Logica tractari debet. Quia defi. div. tantũ notiones secundæ Logicæ sunt. Adde, quod* locus argumentandi â definitione non procedit ex definitione, quà est notio Logica, sed quà realis entis est explicatio. *Sic probaturus hominem esse animal, ineptè probabis è definitione notionaliter sumpta, quia definitio sit terminus, rei quidditatem explicans: Hic enim medius terminus nunquam probabit hominem esse animal: bene procedes â rei istius, quæ dicitur animal, definitione, Quia est corpus sentiens. Vt benè advertit* Dn. Gutkius l. 2. syn. Log: c. 6. p: 568. *Malè ergo hæc tractatio de defin. & div. cum ea quæ in locis Topicis esse debet, commiscetur. Confer* th. 37.

6. 2. Alii *in fine Logices hanc doctrinam tradunt, ut fructum totius Logices.* Dn. Gutk. l. 2. syn. Log. p. 2. c. 2. Scharf. l. 7. Log: c. 1. 2. Mocenicus & Hospinian. ap. Regium l. 1. d. def. q. 1. *Hæc methodus est arbitraria. Vt in materiali rerum tractatione definitio potest ultimo loco tradi, ut* ἀνακεφαλαίωσις *virtute continens potissimam tractationem: Ita & in formali elaboratione definiendi dividendiq; modus omnium ultimò tradi potest, ut fructus Logices generalis & colophon. Quamvis* omninò aptè *hac res in parte* prima *elaboratur, ut post dicetur.* Confer. th. 9.

7. 3. Alii *in doctrinâ propositionis eam tractant quod definitio sit Oratio.* Ita Fonseca. *V. Keckerm. l. 1. Log. sect. 2. c. 1. & cum Fonseca* Hippius q: 20. Log: *Hoc verum est de definitione totaliter sumpta, non partialiter, ut post dicetur.* V. th. 11. Alii *in doctrina methodi eam comprehendunt, ut* Eustathius & Ammonius, *aliiq;: Hinc methodum definitivam fabricarunt, cum â definitione ad explicandam materiam progredimur.* V. Cl. J. M. C. 5. d. 10. q: 1. Zabarel. l. 3. d. metho. c. 13. Scheibl. Top: c.

30. n. 7. 8. *Malè & hoc. Nam methodus est discursiva, inferens unum ex alio, ignotum ex noto.* V. Zabar. c. l. c. 12. *At definitio tantùm est explicativa quidditatis rei.* Vsus definitionis *potest esse discursivus:* Ipsa definitio *est simplex rei per terminos explicatio.*

8. 4. Alii *in doctrinâ syllogismorum de ea tradunt de* definitione *in demonstratione*, *de* divisione *in Euporia.* Ita Cl. J. M. l. 4. Inst. c. 31. & l. 5. c. 10. Barthol. ench. par. pro. l. 1. c. 10. Bertius l. 4. Log. c. 13. Themistius, Eustathius, apud Reg. l. 1. d. def: q: 1. Crellius l. 1. part. pro. c. 10. *Hoc fieri potest de eo respectu quem ratione demonstrationis obtinet definitio, quà fit medium, causa, minor propositio in demonstrat.* V. Barthol. c. l. c. 6. & Zabarell. l. 2. post. c. 2. t. 14. 16. & 1. post. c. 2. t. 14. *Absolutè & ut sic, natura definitionis & divisionis in genere alibi explicari debet. Etiam causæ, accidentia, ad demonstrationem faciunt. Earum tamen natura absolutè, alibi est explicanda.* Conf. Crell. c. l.

9. 5 Alii *in parte Log. primâ de defin. & div. agendum censent, & quidem in termino complexo, seu ut Ramistæ vocant, orto. Ita* Cl. Weger. s. 2. Log. c. 23. Dn. Melancht. l. 1. Dial. p. 87. Zabarell. l. 3. d. meth. c. 13. & l. 2. post. c. 2. t. 16. Keckerm. noster l. 1. Log: s. 2. c. 1. Dn. Hesselbe. c. 7. q: 7. th. Log: Alsted. l. 1. Log: harm. c. 2. & l. 4. c. 1. Hunnæus l. 2. Log: p: 112. Lorinus tr. d. defin. s. 1. q: 1. p: 2. Dn. Corn. Mart. l. 1. comm. Log: c. 10. Crusius d. 7. Log: q: 1. Casus l. 1. Log: c. 7. Valla l. 1. Dial. c. 20. Timpl. l. 2. Log: c. 8. q: 4. *Verè hoc. Quod ut distinctè elucidetur, adverte sequentia. 1.* Definitio materialiter sumpta *v. g. alicujus disciplinæ, objecti particularis,* potest omnium ultimo tradi in disciplina. *Est enim recapitulatio omnium*

*quæ*

*quæ sunt tractata, & difficulter cognoscitur quà sensum, quicquid sit de sono verborum, nisi omnib. quæ sunt tractata, cognitis.* V. Cl. J. Mart. l. 1. dis. Ram. c. 25. q: 1. & l. 3. c. Keckerm. s. 2. c. 1.

10. *II.* Definitio formaliter & totaliter sumpta, ut complectitur *& definitum & terminos definientes*, est integra propositio, & sic in parte secundâ de prop. synonyma seu essentiali est tractanda. *Sic si dicas, homo est animal rationale, est integra propositio. Et patet quia, homo est animal, est propositio. E. magis, homo est an. rationale. Nam hic additur tale tali,* effectivè, *id est, non impeditur per additionem alienantem, & minuentem. E. Hoc modo definitio est* Oratio *per* Aristot. 7. Metap: c. 10. & 2. post. c. 10. *quod urget* Hipp: q: 20. Log: Conf. Dn. Hesselbein. Th. Log: c. l. *Quanquam & oratio quicunq;* terminus complexus *dici potest, qui nondum perfectè enunciat instar propositionis. Vt placet* Scheibl. Top. c. 30. n. 102. Alsted. l. 4. Log: harm. c. 1. *Vel* λόγος *potest reddi* ratio, non oratio, *ut placet* Goclenio l. 1. part. Log: c. 19. *Sic nobis nihil incommodabit.*

11. *III.* Definitio partialiter sumpta, prout definito contradistinguitur, est terminus complexus, & sic in parte prima est tractanda. *Sic quærendo, quid est homo, dices, animal rationale: Quid leo? brutum rugiens, quid bos, brutum mugiens. Hic est complexio tantum termini & objectiva, non propositionis & enuntiativa.* V. Alsted. l. 1. Log: harm. c. 2. *Est compositio non ad modum enuntiationis, sed ligamenti & conditionis, ut* Averroes *loquitur.* V. Zabarell. l. 2. post. c. 2. t. 16. Scheibl. Top: c. 1. n. 6. & 33. *Hinc* Aristoteles *negat in definitione prædicari aliquid de aliquo* 2. post. c. 2. Vid. Zabar. c. l. & l. 1. post. c. 2. *negat definitiones enuntiare aliquid.* V. Zabar. l. 3.

d. meth.

d. meth. c. 13. *Habet in se τὸ est non tàm copulativum quàm explicativum.* V. Keck. p:2. Gym. Log: c. 4. *Per se simplex quid & ἀδιαίρετον est, ut definitum ipsum, quod Logicè definiri debet: etsi à parte nostri conceptus & ratione geneseos Logicæ per complexionem termini, qui generis, & termini, qui differentiæ rationem subeat, explicetur.* Conf. Cl. J. M. C. 7. d. 4. q: 3. *Est compositio illa Topica non axiomatica, ut vocat* Alstedius Encycl. l. 24. c. 28. *Ejus primarius finis non est affirmatio & negatio ut in propositione, sed simplex rei explicatio. Et qualiscunq; terminorum complexio naturam Termini non tollit.* V. Keck. nostrum l. 1. Log: s. 2. c. 1. *Hinc* Zabarellæ *definitio ad primam mentis operationem pertinet.* l. 3. d. meth. c. 13. *Et rectè. Nam unum conceptum simplicem menti nostræ repræsentat, non per modum compositionis Enunciativæ, & hactenus ad primam Logicæ partem, omnino pertinet. Etsi in ea multæ sint partes,* tamen non ut multæ proferuntur, sed ut unum. Dn. Hesselbein. c. 7. Th. Log. q: 7. *Sic hic tractatur.*

12. *Fuit* secundum *proeminale. Sequitur* Tertium. Vbinam in parte prima de definitione tractandum? *Quatuor hic sententiæ.* Quidam omnium primo *ante omnes alios Terminos de definitione tractandum putant. Vt* Perionius c. Ramum. V. Scheibl. c. l. n. 11. *Falsò. Nam simplex est prius complexo. At termini hactenus tractati sunt simplices, definitio est term. complexus. E. illi meritò huic præponuntur. Et complexi oriuntur ex simplicib. Non possunt ergò doceri, nisi prius tractatis term: simplicibus, ex quib. oriuntur.* Conf. Goclen. p. 2. prob. Log: q: 19. *Vsus definitionis in principio potest esse conspicuus: Ipsa definitio formaliter sumpta, non debet statim in principio Log. tradi.* Aliud est doctrina, *in qua docetur, quomodo defi-*

*nien-*

niendum, dividendum, hic definitionis doctrina sequi potest: aliud methodus, *ubi ostenditur, quomodo definitiones & divisiones collocari debeant, Hic definitio omnium primò poni potest.* Conf. Snellium in Dial. Ram. l. 1. c. 25. & l. 2. c. 18.

13. 2. Quidam ante Terminum negativum *de ea tractandum putant. Quod affirmativa priora negativis: definitio est affirmativus Terminus* E. Ita Cl. J. M. l. 1. dis. Ram c. 12. q. 1. *Hæc ratio vera est, nisi aliunde quid sit, quod suadeat contrarium. Quod in præsenti est.* Simplices termini sunt conjungendi, *sive affirmativi sint sive negativi, ob faciliorem & ordinatiorem nostram cognitionem, cui methodus Logica inservire debet:* Complexi Termini distinctam debent habere tractationis sedem, *nè cum simplicib. confusi non satis ordinatè & distinctè pateat processus partis primæ Logices.*

14. 3. Quidam post terminum divisivum de definitione agunt. Ram. l. 1. c. 25. Beurhus in c. l. Snellius dial. in Log. Ram. l. 1. c. 25. Piscator in Log. Ram. 1. c. 25. Bilsten. l. 1. dial. c. 25. Scheibl. Top: c. 30. 16. Timpler: l. 2. c. 7. *Eoq́; inclinat* Regius l. 1. Log: de definit. q: 1. §. 1. *etsi facto contrarius sit. Quod multæ definitiones inveniantur per Divisiones, & hæ partes definitionis suppeditent, ut genus & differentiam:* Fallò. *Definitio prius quid est divisione. Prius enim quæritur, quid res sit, quam quotuplex sit, Vt concedit* Scheibl: c. l. *E. & prius in methodo Logicâ de ea tradi debet:* Aliud est in doctrina alicujus disciplinæ materiali, *ubi ob peculiarem finem divisiones quædam præmitti possunt definitioni, ut viam parantes definitioni futuræ. At in formali methodo Logicâ modus definiendi prius est docendus modo dividendi Nam prius occurrit intellectui, τὸ quid est, quam quotuplex est. Quod*

 ex di-

*ex divisione eruamus definitiones interdum. non magis probat, illam præponendam definitioni, quam in methodicâ tractatione adjuncta & propria debere præmitti subjectis, nam ex istis sæpè devenimus in definitionem horum. Sic leonem dicimus animal rugiens, corvum crocitans &c. Et tamen adjuncta posterius suis subjectis in modo proponendi formali tractantur, ubi ostenditur, quid subjectum sit, quid adjunctum. Vt facit ipse* Scheibl: Top: c.8.4. Alii ergò ante divisionem de definitione tractant, ut Keck: noster: l.1. Log: s. 2. c. 2. Alsted: Log: harm: c. 1. l. 4. & l. 24. p. 1. Encyclop: c. 28. Goclen: l: 1. part: dial: c. 19. *Vbi inscriptione capitis concedit, debuisse prius tradi definitionem, quam distributionem.* Dn. Gutk: l. 2. syn: Log: p. 2. c. 2. Scharf. l. 7. c. 1. aliiq;. *Quibuscum facimus.*

15. *Fuit* pröeminalis *consideratio. Doctrinalis est vel* nominalis *vel* realis. Nominalis *triplex, Homonymica, Etymologica, Synonymica.*

16. Homonymia est, *quâ vox definitionis sumitur.* 1. Metaphysicè pro *essentia & quidditate rei, sic de ea docetur.* 2. Met: c. 10. & 12. V. Scheibl. c. l. n. 2. Hipp: c. l. 2. Gramaticè *pro qualicunq; determinatione certâ alicujus rei. Sic* Cic. in somnio Scip: *definitum locum ait corũ, qui patriam illustrarint & adjuverint.* 2. Logicè generaliter pro *qualicunq; nominis, seu signi explicatione. Vulgò solet definitio nominalis dici.* V. Keck: c. l. c. 2. 2. specialiter, *pro rei significatæ explicatione. Et hoc* dupliciter: vel complexè, *pro definito & definitione, & sic definitio est integra propositio, & pertinet ad propositionem* V. th. 10. Vel incomplexè *pro termino definiente, definito suo contradistincto.* Vid: t. 11. sic adhuc dupliciter. In actu signato, *pro communi ratione omnibus definitionibus competẽte, & fit quasi definitum, quod definiri, dividi, & pertractari debeat.*

1. In

2. In actu exercito, *prout particularibus materiis applicatur. Sic omnes disciplinæ agunt de definitionibus.* C. Scheibl. c. l. n. 20. Cl: Weg: f. 2. Log: c. 23.

17. Etymologia *definitionis* Logica *nulla est: Est enim vox ultimatè abstracta, quæ aliam abstractiorem & priorem se non admittit, à quâ denominationem mutuari possit.* Grãmatica est, *qua dicitur à definiendo, i. e. metam, terminum, finem ponendo: Vt metâ rei finem, ponimus: Sic definitionibus res conceptas animo determinamus, & sub certâ Entis specie repræsentamus.* Synonymia est. *quâ definitio dicitur etiam Terminus definitivus, Rei explicatio, quãdoq; descriptio. Aristoteli Terminus* 1. Top: Græcis ὁρισμὸς *&c.*

18. *Fuit* nominalis *tractatio: sequitur* realis, *Quæ* triplex. *Definitiva, Divisiva & affectiva.*

19. Definito *hæc est:* Definitio est Terminus cõplexus explicans rei quidditatem adæquatè.

20. *In Definitione videndus* conceptus latior & strictior. Latior *est genus, Quod est* terminus complexus. *Dicitur* 1. Terminus *i. e. notio simplex (ratione compositionis enunciativæ) Logica, materiam futuræ propositioni præparans. Hæc enim est termini definitio.* V. d. 2. t. 15. *Et hoc facit etiam definitio. Suppeditat enim materiam propositionis cujusdam affirmativæ, in parte secunda formandæ.* 2. Complexus i. e. *Definitio non est simplex quid, ut genus, species, sed complexum, quod duas res animo simul objicit, velut unum quid,* complexione objectivâ, non enunciativa. *Sic, animal crocitans, homo currens &c.* V. d. 2. t. 30. *Hinc dicitur terminus complexus. In hoc cum reliquis terminis complexis convenit, qui duo involuunt, Vt Album, Nigrum: Paries albus, homo doctus, currens, scribens &c. Ridiculè* Snellius l. 1. dial: Log: c. 25. & 30. *genus* definit: & divisionis *non facilè pronunciari posse asserit, intelligi tãtùm debere.*

*At ipſe defi: & diviſ:* argumenta *orta dicit ex Ramo: Id ergò eorum genus. Et facillimè pronunciaveris genus definitionis & diviſionis, nempè* Terminum complexum. Dicis: *Definitio unâ voce quandoq́ exprimitur.* Sic 1. Joh: ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. *Sic* ἡδονὴ ἐστιν ἀλυπία. *E. malè Terminus complexus dicitur.* ℞. *Complexio Logica non penes* ſonum *ſed* ſenſũ *& ſignificatum eſt ſpectanda. Sic vox* ἁμαρτία *complectitur & materiale ſeu genus peccati, quod eſt actio, vel quod malo ob peccatum originis, Conatus: & formale ſeu differentiam, quod eſt illegalitas. Et eſt ita reſolvenda:* ἁμαρτία ἐστὶν στέρησις ἐννομίας: ἡδονὴ ἐστὶ στέρησις τῆς λύπης. Dicis: *Petrus eſt homo. Hic eſt una vox & quà ſonum & ſenſum.* ℞. τὸ *homo reſolvendum eſt in ſuum ſenſum, in quo duo complectitur, animal & rationale. Sic hæc res eſt Zingiber i.e. aroma quod vocatur Zingiber.* Cõf: Alſted: l.4. Log: harmõ: c.1. Scheibl: c. l. num: 54. Goclen: p. 2. pr: Log: c. 21.

21. *Fuit* genus *definitionis.* Differentia *eſt*, explicans quidditatem rei adæquatè. *Dicitur* 1. explicans. *Explicare hic eſt docere, exponere. Definitio ergò explicet intellectui* (ſc. Humano: *Nam angelico ex parte tantùm tribuitur definitio, Deo omninò non, qui omnia uno conceptu illimitato concipit, non diviſivo, per genus & differentiam, ut humanus*) *i.e. exponat, informet eum, tanquam proprium ſubjectum recipiens definitionem, de naturâ rei. Cum explicare debeat definitio, cavenda erunt* verba ambigua, obſcura, inſolentia, & ea, quæ non explicant, ſed implicant. V. Scheibl: c. l. c. 30. 21. 2. Quidditatem rei. *Quidditas dicitur* eſſentia rei Logico conceptu appræhenſa. *E. ut rem apprehendimus, ita & definimus: Quando eam ut diſtinctam & præciſam appræhendimus, tùm & ita qualitercunque definimus, & ſi in re diſtincta non ſit, ſed unum cum alia. Sic in attributis divinis diſtinctè unum concipimus præ alio. Ita & definimus, & ſi in re unum ſit aliud. Sic vim calefactivam*

*& ex-*

& exsiccativam in sole distinctè & præcisè apprehendimus: Ita & definimus, etsi in ipso sole unum sit aliud. Per quod calefacit per id etiam exsiccat. 3. Adæquatè Hæc vox requirit 1. complexionem & totalitatem, ut definitio exhauriat totam naturam definiti, ut nihil maneat, quod ad essentiam quidditativam subjecti pertineat, quod definitio nō habeat, vel sono, vel sensu verborum. Unde quia DEUM ut ens infinitum adæquatè non comprehendimus, etiam adæquatè & strictè, adeoq; Logicè eū nō definimꝰ, sed qualicunq; descriptione contenti sumus. Eadem est ratio de rebus mysticis, transcendentalibus, privationibus, negationibus, & omninò extra prædicamentalibus materiis, in quibus definimus ut quimus, quando non licet ut volumus. Ubi vel ob eminentiam rerum vel ob deficientiam non licet totalitèr vel adæquatè res apprehendere. 2. Reciprocationem, ut definitio sic explicet rem, ut cum definito reciprocari possit. Malæ ergò definitiones, quæ vel nimis angustæ, vel nimis amplæ sunt, ut cum suis definitis reciprocari non possint. Cæterum ubi genus & differentiam definitioni tribuimus, observetur, ea per analogiam hic poni. Est enim definitio notio secunda quæ accuratam genus & differentiam non capit. Conf: Scheibl: c. l. n. 48.

22. Fuit definitio Termini definitivi: sequitur divisio. Plures definitionis divisiones dari solent. Nos tribus contenti erimus. 1. Definitio vel est nominis vel rei. post: t. 14. 1. Top: c. 4. Nominis est, Quâ nomen vel phrasis alicujus rei evolvitur. Huc pertinent notaationes, Etymologiæ, Conjugata, allusiones, transumptiones, Typi, Periphrases. &c. V. Dn. Weger. c. l. Hæc definitio habet nomen definitionis, non rem: non enim explicat quidditatem rei. Adeoq; est hæc divisio vocis in sua significata, non generis in suas species. Et pertinet magis ad Grammaticum quam

*Dialecticum ut benè* Hunnæus l. 2. Log. p: 112. *Definitio rei est quæ* Th. 18. *est definita.*

23. *II.* Definitio est vel essentialis vel causalis vel utraq; simul. Essentialis est, *quæ fit per causas intrinsecas, essentialiter rem constituentes. Sive illæ causæ sint Metaphysicæ .i e. genus & differentia ut homo est animal rationale sive physicæ per materiam & formam, ut cerevisia est potus aqua, hordeo & lupulo certo modo coctus: Homo est animal corpore organico & anima rationali constans &c.* V. Dn. Wcg: c. l. c. 23. Causalis est, *quæ fit per causam externam, efficientem, finem, vel utrumq; ut Ecclipsis ☉ est interpositio Lunæ inter solem & aspectum, Febris est calor præter naturam accensus in corde, Dies est lux ex motu solis supra horizontem orta. Homo est animal ad beatitudinem conditum: Equus est animal à Deo creatum ad usus homini necessarios. Ex utroq; definitio quæ est, simul cōplectitur & causas internas & externas. Vt homo est animal rationale, creatum à Deo ad æternā beatitudinem consequendam.*

24. *Quæritur,* an legitima hæc divisio? *Negat* Piscator in c. 25. l. i. Log. Rami: *Quod partes non dissentiant inter se, Nam essentialis definitio etiam est causalis, nam genus & differentia sunt materia & forma, quæ sunt causæ rem intrinsecè constituentes: Et causalis est etiam essentialis, sic cum materia & forma rei adducitur. Sed est lusus vocabulorum, quæ* Piscator *non* pro sensu Aristoteleo *accipit. Definitio causalis tùm dicitur, cum definitur aliquid* ex causa externa, *ut efficiente & fine: Cum* ex internis causis *definitur, tùm non ex causis sed* ex partibus essentialibus, *quibus res componitur, definiri dicitur. Matereria & forma in re jam constitutâ, cujus inquiritur definitio,* non amplius sunt causæ, ut erant in re constituenda, sed factæ sunt partes-essentiales internæ; *Et cum per has fit definitio,*

*Dicitur*

dicitur essentialis: Cum per causas externas, Causalis. Et sic verè hæ partes dissentiunt. Essentialis enim definitio nunquā erit causalis, prout causale hic pro libertate Philosophica strictius ab Aristoteleis sumitur & vicissim: Causalis, hoc modo sumpta, nunquam erit essentialis.

25. III. Definitio est vel perfecta vel imperfecta. Perfecta est, quæ constat vero genere & differentia à priori. Vt homo est animal rationale. Imperfecta est, quæ per ea fit, quæ sunt à posteriori, ut per causas externas, adjuncta, effectus, opposita, similia, &c. V. Scheibl. c. 30. Top: n. 65. Vocatur alias descriptio, Tales descriptiones in Entibus non prædicamentalibus vulgò admittunt. Alii addunt tertium membrum, mistam, seu descriptivam definitionem. Damasc. c. 8. dial. sed hæc rectè sub descriptione comprehenditur. Addit enim quædam quæ non sint essentialia à priori. Alii descriptivas definitiones ad perfectas definitiones reducunt. Goclen. p. 2. pro. Log. q: 34. Piscator ad c. 30. l. 1. Rami. ap. Scheibl: c. l. n. 58. Falsò. Nam additamentum in talibus definitionibus dicit aliqam imperfectionem, i.e. tale quid, quod non sit de essentia à. priori. Sic homo & animal rationale, mortale, naturâ mansuetum. Hic posteriora non sunt essentialia à priori: Et per hoc, hæc additio adimit aliquid perfectionis definitioni, & consequenter facit definitonem imperfectam, ut maxime priora sint de essentiâ constitutivâ definiti. Co. Sch. c. l. n. 60. Et aliàs additionem aliquam posse esse minuentem, certum est inter Philosophos, quando eas determinationes alienantes vocare solent. Vt homo mortuus, Recitator est liber loquens. V. Dn. Kesler: Log: Photi. s. 4. § 7. Scharf. l. 6. Log: c. 3. Dutrieu: tr. 4. p. 2. c. 2.

26. Fuit divisio defin: Sequuntur affectiones. Hæ complures sunt. Vt 1. Claritas, 2. totalitas, definitio adæquetur defini-

*definito & reciprocetur cum eo.* 3. Utilitas: 4. Brevitas: *Sit curta verbis, ampla sententiis.* 5. Prædicamentalitas. *Def. stricte dicta sit rei prædicamentalis, habeat proximum genus, differentiam, affirmatè posita: Nisi in summis & imisentib. & vocum interdum defectu, ubi quandoq; secus est.* 6. Habilitas: *Applicetur ad melius, non deterius, inquiratur vel compositivo vel resolutivo processu: habeat priora & notiora, saltem secundum nos, ex quib. componatur, & quæ plura attributa definitionis sunt, fusè tractata* â Scheiblero Top:c.1.§.86.87. Alstedio l.4. Lo. har. c.4.5. Dn. Weger. c.l. c.23.

27. *Fuit* term: definitivus: *sequitur* divisivus. *Ejus tractatio* proeminalis *patet ex* t.4.5.6. *Nam quæ ibi de definitione sunt dicta, eodem modo, salvâ diversitate terminorum, intelligantur de divisione. Nam in similibus speciebus, similis, ut vulgo ajunt, procedit analogia.*

28. *Tractatio* doctrinalis *est vel* nominalis *vel* realis. *Illa triplex, homon: etym. & synon.*

29. Quà homonymon: *Divisio variè sumitur.* 1. pro *distributione in partes quantitativas. Sic formæ vulgo dicuntur indivisibiles.* 2. pro *divisione generis in species, sic opponitur partitioni.* 3. pro *divisione in proxima membra, sic opponitur sub & superdivisioni.* 4. Rhetoricè *pro brevi partium enumeratione rationes subjiciente: item pro status explicatione & futuræ Orationis delineatione, Ut meminit* author ad Herenn. l.4.§.65. 5. Logicè generaliter *pro divisione vocis vel rei. Sic & distinctionem ambigui in sua significata comprahendit.* 6. Logicè specialiter. *pro Logicâ rei divisione in partes. Sic opponitur distinctioni. Et sic hic sumitur.* Quà etymon. *Logicum nullum est, est n. vox ultimatè abstracta. Grammaticum â dividendo est, i. e. distribuendo & partiendo in membra.* Quà synonymon, *dicitur*

*citur*

*citur etiam partitio, distributio, Totius resolutio, Term. divisivus, partium enumeratio, &c.*

31. *Fuit* nominalis *tractatio*. Realis *triplex. Defin: divisiva & affectiva.* Definitio *est:* Divisio est terminus complexus, Logicè totum in partes resolvens.

32. Genus *est* Terminus complexus. *Hic patet ex* th. 20. Differentia *est*, Logicè totum in partes resolvens. Resolutio *est q. amplioris in arctiora distributio.* Dicitur Logica, *i. e. cum totum in partes qualescunq́ sub notionib. nostris & cogitatis nostris, i. e. vel universaliter, vel integraliter, vel essentialiter, dividitur: ut excludatur* Grammatica, *cum vox in significata resolvitur:* Physica, *cum præcisè in materiam & formam fit divisio:* Metaphysica, *cum præcisè in genus & differentiam:* Violenta, *cum dissecatur v. g. taurus in partes minutiores, ut cocturæ fiat aptus.* Dicitur totum resolvens. Totum & partes *hic latè sumendæ, pro quovis communiori & angustiori: sive illa communitas sit in prædicando, ut animal respectu leonis, asini, hominis: sive in continendo, ut totum mare respectu partis alicujus:* Partes *generaliter hic dicuntur omnia ea, quæ sub alio continentur qualicunq́ modo.*

33. *Fuit* definitio; *sequitur* divisio. Divisio est vel primaria vel secundaria. *Primaria, quæ est totius primarii. Estq́ vel totius* Essentialis, *vel* integralis, *vel* universalis. Essentialis est, cum totum essentiale resolvitur in partes essentiales. *Vt cum homo dividitur in animam & corpus. Vocari solet* Metaphysica, *cum totum dividitur in genus & differentiam, ut cum homo dividitur in animal & rationale:* & Physica, *cum in materiam & formam, ut homo in animam & corpus.* V. Dn. Weger. c. l. c. 24. Integralis est, cum totum integrale dividitur in partes integrantes, *ut homo in caput, pedes, brachia, &c.*

*Vulgò vocant membra. sed paulò incommodior est ista vox, nisi limitetur.* V. Scheibl. Top. c. 28. n. 31.

34. Piscator not. ad l. 1. Log. Rami c. 25. negat hanc divisionem, quod membra dividentia non dissentiant. *Nam partes integrales etiam esse essentiales i. e. constituere integri essentiam, sic fundamentum, tectum, parietes, domum: Et partes essentiales, esse etiam integrales, sic corpus & animam hominis integram essentiam hominis constituere. Sed ex vocib. ambiguis hic luditur. Est idem modus arguendi in toto integrali & essentiali:* Essentiale tamen *dicitur respectu partium essentialiter constituentium. Sic non dabis hominem sine materia & forma:* Integrale *respectu partium materiæ. Ita etsi una vel altera pars harum desit, totum tamē dicetur integrū. Sic etiamsi desit digitus vel auris homini, homo tamen dicetur, Totum integrum. V.* Scheibl. c. 1. *Et his patet oppositio horum membrorum:* Partes essentiales nunquam sunt integrales, *prout hæ voces jam apud Philosophos sumuntur, & vicissim.*

35. Vniversalis est, cum totum Vniversale dividitur in partes angustiores. *Vt cum genus dividitur in species, ut animal in rationale & bestiale: vel species in Individua, ut homo in Petrum, Paulum: vel q. genus i. e. quidvis Vniversale in essendo & prædicādo, in q. species, i. e. quidvis particularius, ut cum Ens in substantiā & accid: causa in efficientem, finem, mat. & for. Ens in finitum & infinitum diuiditur, &c.* Conf: dn. Weger: c. l. c. 24.

36. Divisio secundaria *est, cum dividuntur* efficientes *in effecta &, vicissim, ut studiosi alii legunt, alii scribunt, alii disserunt: aut* efficientes in fines, *& vicissim, Vt prædicantium Christū alii spe gloriæ, alii lucri, alii odij gratia, prædicant.* Philip: 1. ℣. 15. 16. Aut subjecta in accidentia, *& vicissim. Vt hominum alij docti sunt, alii indocti: Philosophorum*

*phorum alii Peripatetici, alii Ramei, alii Lulliani sunt, &c.* Conf. Scheib. c. l.

37. *Fuit* Divisio. *sequuntur* affectiones. *Earum complures sunt. Vt* 1. Adæquatio, *divisio nec excedat nec deficiat.* 2. Consensio cum toto, *& cum partibus* dissensio. 3. Brevis *pro re nata & bimembris, si fieri potest*, compræhensio. 4. partium positio. *Habeat vera membra, non sit de non Ente.* 5. partium affectio. *sint ejusdem generis cum toto, minores eo, &c.* Vid. dn. Weger. c. 24. & dn. Scheibl. c. 29. c. l.

38. *Fuit* Terminus complexus definitivus & divisivus: *Sequitur* secundarius, adjunctivus. *Hic est, cum qualecunq; ad junctum apponitur suo subjecto, quod nec definiat illud, nec dividat, sed quocūq; modo qualificet. Vt homo albus, animal currēs. Talis term. ex* cōplexione substātiæ & cujus vis alius prædicamēti exsurgere potest. *Vt, homo longus, crassus: Doctus, albus, ater: Homo Pater, Filius: Homo currēs, verberatus: Homo hesternus, hodiernus: Homo stans sedens: &c. Et hæc de* Termino complexo *pro re nata dixisse sufficiat.* *Atque ita* primæ partis Logicæ *finis esto. Reliqui Termini, qui magno numero hic à* Rameis & mistis *explicari solent, Vt* subjecta, adivncta, Tota, Partes, Causæ, Causata, Comparata, Majora, minora, Conjugata, Testimonia, *Vel ad* partem tertiam pertinent, *de argumentatione Topica, sunt n. sedes & loca inventionis Topicæ, & ex potentiâ oboedientiali ad argumentandū sunt tractanda, non naturali:* Vel sunt realia, *quæ è realib. disciplinis petenda, ut causæ, causata, Tota partes:* vel sunt Grammatica *& ex ea petenda, Vt notationes, Etymologiæ, Conjugata, &c.* V. dn. Corn: Martinj l. 2. com. Log: c. 1. & l. 2. par. pro. c. 1. Cl. l. Mart. l. 3. c. Keck. s. 2. c. 1. & l. 1. dis. Ram. c. 2. q. 10. 12.

Deus nec Logicè, nec Theologicè accuratè definiri potest, sed tantùm describi.

Falsa est definitio, Petrus est homo rationalis.

Potest aliqua definitio esse vera, ut tamen sit mala.

Potest causa aliquid dare effecto, quod ipsa non habet.

Potest Vir virginitatem amittere, etsi nunquam virgo fuerit.

Syllogismus hic. Qui non est ex DEO, verbum Dei non audit. Judæi non sunt ex DEO, Ergò. ex Joh. 8. non est è puris negativis, sed est legitimus.

FINIS.